Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 509
Quelle:
Copyright:

cusat potius, quam accuset. Nihil de toto hoc negotio, quod miror, *Corius* in *Hist. Mediol.* Unde *Adlocutionem* nostram luce dignam puto, quod et de Sequentibus velim intelligi.

VI. *fol.* 104. p. 2. *Arengna facta Venecijs 1353. octauo die Nouembris super pace tractanda Inter commune Janue et Dominum Archiepiscopum Mediolanensem ex vna parte et commune Veneciarum ex altera per dominum franciscum petrarcham poetam et ambasiatorem supradictum.* Cladem Augusto mense praecedente tantam a *Venetis* passa erat *Januensium* Classis, ut hi necesse habuerint se in *Johannis Vicecomitis* Domini simul et Card. Archiepiscopi *Mediolanensis* fidem dare. Rem narrat *Corius* ad *h. a.* nil vero de Legatione nostra, quae successu caruit, bello usque in an. 1355. producto. Brevior est *Adlocutio* nostra priore, et incipit: *Si vnquam alias magnifice dux* (Andreas is Dandulus) *vosque viri nobiles qui in consilio adestis, egre tuli linguam humanam et presertim meam non sufficere exprimendis ad plenum animi affectibus, hodierno die magis magisque doleo* &c. Pacem commendat argumentis sacris et profanis. Archiepiscopum Dominum suum requirere pacem ab eis, cum quibus nunquam habuit bellum, oblata nuper Ei a *Venetis* auxilia, ut ad *Januae* dominium perveniret, nunc *Januam* ultro ad ipsum accessisse. Meminissent, olim a *Johannis* Patre (Matthaeo M.) concordiam inter ipsos et *Januenses* restitutam fuisse &c. *Dandulo* Duci nominatim in memoriam revocat *Epistolam*, quam ab initio belli hujus ad ipsum misisset. Atqui ea legitur Opp. *Petrarchae. Basil.* 1581. T. II. p. 969. Nihil vero rursus de praesente *Arengna.*

VII. *fol.* 106. p. 2. *Collacio breuis facta in palatio Regio parisius per dominum franciscum petrarcham poetam coram illustri domino Johanne Francorum Rege post liberacionem suam de carceribus regis Anglie in MCCCLX primo die decima tercia mensis Januarij.* Capto ad *Cressiacum* ab *Anglis* an. 1356. *Johanni* II. annoque demum 1360. 13. *Dec. Parisios* reduci honorificam Legationem misit *Galeatius Vicecomes*, de qua in *Collatione* orator noster: *Super hijs atque aliis dominus meus ac deuotus Vester dominus galeatz Vicecomes Mediolani dominus misit hos quatuor nobiles militares viros, hunc iuris ciuilis professorem et me* &c. Orditur vero ita: *Exaudiuit orationem ejus, reduxitque eum in Jerusalem in regnum suum. Paralip. II. c. 33. Antequam de proposito meo loquar serenissime principum premittenda mihi videtur excusatio mei ipsius, scio quod coram tanto rege locuturus deberem, si possibilitas afforet, eo sermone uti, qui uobis esset acceptior ac nocior. — sed non sum tanti ingenij, linguam gallicam nec scio, nec facile possum scire. Carpentoraci* itaque, in *Monte Pessulano*, et *Avenionen-*

si